# The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

## Malicia k
cum fontibus primis

Consideras hec stulticie mixtum dolum tyranni. ←
Aut enim Herodes credidit scripturis aut non. Si non credidit, ut quid ergo interrogabat scripturas quas putabat esse uaniloquas?
Si credidit estimans prophetiam esse immobilem,

quomodo ergo sperabat illum regem posse interficere quem futurum esse dicebant scripture?
Nam
si prophetie credidit, ←
clarum erat ipsum aduersus impossibilia conari. Si non credidit, tunc nec sibi timere debuit, nec puero insidiari.
Respondit Crisostomus:
Anima semel malignitate capta stultior cunctis efficitur. ←
Tale quippe est uicium malignitatis ut a nullo plerumque impulsa, sese ipsa precipitet, et sepe absque effectu operis erumpnosa impossibilia conatur efficere.

Crisostomus super secundum capitulum Matthei. →

credebat Herodes Scripturis, aut non credebat? Si non credebat, ut quid interrogabat Scripturas, quas putabat esse vaniloquas?

aut si credebat, quia inde vere nasciturus est rex, unde Scripturae dicebant: quomodo sperabat posse se interficere illum regem, quem futurum Scripturae esse dicebant?

Pseudo-Chrysostomus, *Opus imperfectum in Matthaeum*, 2 (PG 56, col.639).

Tale quippe est initium malignitatis: ut a nullo impulsa: plaerumque sese ipsa praecipitet, et quam saepe absque effectu operis aerumnosa, et impossibilia gestit efficere.
Consydera ergo uaecordiam singularem. Si enim prophetiae ipsi crediderat, eamque inuictam putabat: clarum erat illum aduersus impossibilia conari. Si uero minime credebat prouentura esse quae tanto ante praedicta sunt: nec sibi timere debuit: nec puero insidiari.

Iohannes Chrysostomus, *In Mattheum homiliae interpretatione Aniani*, 7 (1503 Venice ed., fol.19r, ll.38-42).

Nempe
→ consyderati stultitiae mixtum dolum tyranni.
Si enim haec uere dicis: qua tandem ratione ductus latenter interrogas? Sin autem ut fraudem specie consilii tegas, non caues ne hoc ipso quod clam de puero interrogas dolum tuum a magis sacras depraehendi? Verum ut paulo ante praemissimus
→ anima semel malignitate capta, stultior cunctis efficitur.

Iohannes Chrysostomus, *In Mattheum homiliae interpretatione Aniani*, 7 (1503 Venice ed., fol.19v, ll.7-10).